

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-primâ mensis Novembris, anni M. DCC. XLIII.

M. DAVID VASSE,
Doctore Medico, Præside.

An à Vomitu Partus facilior?

I.



PEDICULI instar, quo fructus ex arbore pendet & vivit, umbilicus est, quo uno puer suæ sedi, ut solo planta, insertus, animam ducit, cibumque tandiu sugit ad nutritionem atque augmentum; donec acquisitâ perfectione gravis, jamque granditatis non ferendæ limen urgere incipiat. Tunc enim lacessitus primùm uterus se se colligit, ac undique, sed versùs pedes infantis præsertim adhibitus, huic tanquam oneri foràs exturbando acriter incumbit. Puer ipse

aëris, alimentique majoris indigens jam jam in caput pronus, interiori carceris orificio instare sic non desinit, ut eo tandem patenti satis, nec ampliùs impari, protensis secundùm latera manibus, rectus, atque ad exeundum compositus è suis latibulis in lucem prodire queat. Quo quidem in negotio Numinis sapientia eximiæ potentiæ comes individua, una spectanda venit, non autem ossium contractior visa nonnullis intercapedo, quæ semper, ut est, atque citra Ileωn à sacro, pubisve ossium à seipsis discrimen, solâ cedente coccyge, partui per se sufficit. Moram si quid, etiamque periculum affert; en matris breviter astrictum uteri stomachum, & quò plus illi ætatis, eò plus siccitatis & duritiei locis ad obsistendum accidit. Tunc enim nimiò plus exhaustis viribus, uterque aliquando, vel matris aut fœtûs alteruter impotens succumbit operæ, quæ sæpe cum morbo vel morte dividi solet.

I. I.

MULIER cui bene est, ea dum temperamento, habitu, ætate, viriumque robore constat, gestationis tempora bellè demetitur, ac opportunè parit septimo, qui vitalis; aliàs nono, qui maximè securus & communis; vel decimo mense, qui Heroum proprius est. Tantò enim tempestivior septimestris est partus, quantò magis calamitosus videtur octimestris, in quo puer præposterè ortus, atque debilior, novas ambientis injurias, à priori duroque labore nondum recreatus ferre non potest. Seu enim adsit, seu negetur nascendi tempestivitas, omni ex parte premunt angustiæ, laborisque mutuas, reciprocasque vices semper habent infans, materque. Hujus quasi ad enitendum cohibito spiritu, facies rubore primùm suffusa pene livescit, ἰσφυαλγία ad pubem pertingens, inguinumque lassitudo molestias addit, pulsus fit vehemens, venarum jugulique ipsius tumor in bronchocelen sæpe degener, eminet. Arctioris loci situsque impatiens puer instat ad ostium, in quo jamjam hianti prostant aquæ suis conglobatæ membranis. Per eas sanguinea exudat humiditas. Hinc pudendorum inflatio, mucosus leniensque mador erumpit, quo solutum iter laxatur, ceditque ad imminentem partum. Porrò quantuscumque tremor, infrequens licet, parturientis occupet artus, sed crura potissimùm, hunc acuto dolorum sensui acceptum refer, cujus est urendo ferire tendinosa uteri ligamenta. Quà enim secundùm pedem ab inguine patent, hæc effuso sero concussa, ejus, noxiæque unà propulsandæ gratiâ eunt, redeuntque motu inordinato. Eâdem fermè de causâ vomitus quisquis suboritur, in illo matris angore, partusque procinctu, affectus est præter naturam, qui nullius ad rem facilè transigendam momenti, sed mali omnis semper, fœtum, fœtámque damnis adauget.

I-I I.

MOTUS in quo universè, celeriterque pars redit ad suam naturam, jucunditas est. Secùs, si multùm illa, citòque recesserit à seipsà, tunc aspera sensatio oritur. Utramque affectionem mulier ope & operâ fœtum enixa solet experiri, dum suscepto partus, exactoque labore, loci quamprimùm ad sese, confertimque redeuntes ἀπονίαν afferunt voluptatis affinem. At hæc dolorem non æquat, cujus summi sanè, & opinione omnium majoris, licet interpolati exemplum est in parturiente. Aliàs mater nimio dolore oppressa, cum nemo valde

doleat & diu, ἀνάλγητος parere posset, aut si indesinenter exerceretur; ea sane fatali necessitate cederet. Et re verâ ubi fortioris cruciatûs imaginem invenias, quàm ejus, qui in arcto & inter angusta positus est, qui partes eximii sensus occupat, qui tum extrà, velut à distendente organo profectus, divellit, tum intus ab acri humore manans exurit? Tam arctè stringitur os uteri, ut id acus ne suâ quidem cuspide subire queat. Membranæ tactus organa, doloris voluptatisque sedes sunt. Fit demum via vi, atque dum angitur, ardetque dolore mater, spiritus ipsi pernicitate motus ad exardescendum faciles, suum humoribus calorem vicissim communicant. Hac arte commota bilis, ocyùsque fermentescens, actuosa semper, in ventriculum exundat. At utero ὑμενώδη, stomachus ὑμενωδέστερος suâ naturâ, multisque nominibus maximè sensibilis, statim compatitur. Adeò partium invicem affinitas substantiæ, earumdemque per nervos consociatio magnitudine suâ præstabiles sunt, propter quas crucians ægritudo illorum ductus secuta, ad ventrem usque profertur, qui jactatus, mox velut in alicujus mali depulsione totus apparet; liceat frustra, nec id uspiam ullo naturæ tunc laborantis commodo fiat.

IV.

ISTIUSMODI affectio, vomitusve, grave quidem est ventriculi symptoma, sed dubio procul communi ne dicam lædendi jure præcordiis, sed uterum gerenti privatim infensum. Scilicet dum fundi illius, quamquam valentis, vehemens sursum fit commotio, acerbissimique doloris sensu efferata bilis modum non tenet; ipso vomitandi conatu infantis matrisque vires attritæ collabuntur, quarum firmitate stat pariendi facilitas. Diaphragmatis musculorumque abdominis unà cum utero ad partus laborem conspiratio, iisdem retrò sursumque pro nutu vel motu potiùs ventriculi sublatis pervertitur. Tantùmque abest, ut sic prompta facilisque ad pariendum via sternatur, quin potiùs impedimentis difficultas crescat, seipsâ etiamnum major, ni in præcavendâ sagacem, vel amoliendâ illius causâ tempestivum sese daret Medicus. Siquidem venæ sectione hæmorragiæ periculum, & simul alter ad partum obex venarum nimius tumor arcetur. Catharsi biliosus secedit humor, qui stomachum movet; atque quemadmodum prævio partûs madore mucoso lubricat vias, delinitque natura, Sequester ille ægro partu prospecto membranas vetulæ matris præ duritie contractas, vel hecticâ siccitate duras, litu relaxat, fotu emollit; adeò ut attenuatis cruciatuum causis, si tanti constet nasci, saltem hâc arte tutiùs, quàm ἐγχειρήσει, aut Emeticis Medicamentis, faciliùsque obstetricetur Medicina, quæ malum omen vomitus novit avertere.

V.

RENIS uterique eadem est ratio, & uniuscujusque sua fœtura perhibetur. Illius quidem calculus, quem suo modo fovet, hujus verò puer, quem absolutum edere novit natura. Ubi enim ambo propriis faucibus hærentes, magnitudine suâ atque pondere acerbitatem cient; ad eam amoliendam eriguntur partes, à quibus per nervos propagato dolore, ventriculum è vestigio condolere, vomitu percelli contingit. At quomodo excussus vomitando lapis nephriticus altiùs nec raro figitur, & cruciat, posthàc inextricabilis, aut ægerrimè pro-

lapſurus ; eodem fermè conatu inexplicabile pariendi munus novis impedimentis tenetur, cujus aſperitatem aſperitate cumulat vomitio. In eâ quippe venter ſuâ ſede diſſilit, compreſſoque fundo totus ſurſum impetu fertur. Aſſidentes quas impellit, & affert ad ſe, membranæ parteſque divelluntur, debilitantur. Dirum mehercule ſymptomatis genus, quod dum ex præſenti conformatione matrem anxiam magis habet, atque ventriculi functioni pejùs nocet, uterum unà cum adjunctis retrahit, obturbatoque ejus officio Lucinam moratur, quam gravibus difficultatum momentis intricatam ab opere præcipuo ſic evocat, ut ſedens præter ordinem infamis vomitus, nec tantis oppreſſæ mulieris anguſtiis opi eſſe, nec imminentis partus ſeu cauſis, ſeu propriis notis, quæ uniuſmodi, perpetuæque ſunt, poſſit aſcribi, quoties expeditiorem tutioremque fœtus excluſionem ad partus animantium adhibitum Numen moderatur & regit.

Non ergo à Vomitu Partus facilior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Tuſſanus-Gilbertus Boulland, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.	*M. Jacobus-Albertus Hazon.*	*M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ, dum Viveret, Medicus ordinarius.*
M. Gaſpardus Cochon du Puy, in arce maritimâ Rupifortenſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Regius.	*M. Claudius-Carolus de Jean.*	*M. Guillelmus de Magny.*
M. Jacobus-Franciſcus Vandermonde.	*M. Franciſcus-Felicitas Cochu, Scholarum Profeſſor.*	*M. Gabriel-Antonius Jacques.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS BIDAULT, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.